DE DEMOSTHENIS MIDIANA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM VRATISLAVIENSIVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

CONRADVS VIELHAVER

SILESIVS

DIE XIII MENSIS IVLII ANNI MCMVIII HORA XI
DISSERET DOCTORANDVS IN AVLA LEOPOLDINA
„DE PARMENIDIS DIALOGI COMPOSITIONE“
DEINDE PROMOTIO ERIT

VRATISLAVIAE
TYPIS IMPRESSIT H. FLEISCHMANN
MCMVIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

PAVLVS WENDLAND.

Examen rigorosum habitum est die XIII. mensis Mai.

PARENTIBVS CARISSIMIS

S.

Demosthenis Midiana viris doctis summa antiquitus negotia praebuit: nec quomodo oratio disposita sit nec cur complures partes bis in ea inveniantur nec quomodo nonnullae imprimis epilogi partes inter se cohaereant satis perspici potuit. Quas ad difficultates tollendas quaenam ab Hauptio („Ueber die Midiana des Demosthenes" Posen 1857), ab Esio („De Demosthenis Midiana" Utrecht 1864), a Wachendorfio („De Demosthenis Midiana" Neuss 1879), compluribus aliis temptata sint, in Blassii opere „Die attische Beredsamkeit" III, 1[2] p. 328 sq. accuratissime commemoratur; nec igitur hic mihi exponendum videtur; qui permulta, in quibus offendere debemus, detexerunt et ex parte maximo acumine explicare studuerunt, permulta etiam posteris pervestiganda reliquerunt. Anno 1882 subito nova quaedam lux oriri videbatur, cum Christius dissertatione, cui inscripsit „Die Atticusausgabe des Demosthenes", doceret permultos orationis locos in codicibus signis criticis notatos esse, idque persaepe eos ipsos, in quibus viri docti offendebant. Ea signa non fortuito, sed aliqua de causa fortasse gravissima illis locis a veteribus grammaticis apposita esse statim apparuit. Sed spes, quae in illis signis posita erat, nondum expleta est; ne nunc quidem contigit, ut de signis illis quicquam certi statueretur, quod ullam haberet probabilitatem: Christius (l. c.) Weilius (in alterius editionis praefatione) Blassius (l. c.) nonnulla de iis disseruerunt, nec vero quamquam ipsi quoque permulta recte sine dubio cognoverunt, hanc quaestionem ad finem perduxerunt. Itaque opus est denuo tractetur. De orationis compositione pauca disseram ita, ut a notatis illis locis incipiam, deinde de nonnullis aliis locis

agam dignis qui tractentur, postremo quam paucissimis perlustrem, quomodo tota oratio disposita sit.

§§ 38—41.

Obeli pertinent per omnes has tres paragraphos[1]). Haec pars talis, qualem nunc legimus, non ab ipso Demosthene composita esse potest. Quid enim? § 38 Midias aperte vetatur dicere se sine industria facinus commisisse; cum alia proferuntur tum non ira commotum eum facinus commisisse: irae et morum insolentiae ceterorum duorum aperte opponuntur verba: μεθ' ἡμέραν εἰδὼς ὕβριζε . . . . ἐπὶ πάντων φαίνεται προῃρημένος μ' ὑβρίζειν. Et postquam haec plane interclusa est excusatio, § 41 denuo paene eadem audimus: ἂν γὰρ ταῦθ' — credideris certe omnia, quae antecesserunt — οὕτως ἐγνωσμένα ὑπάρχῃ παρ' ὑμῖν, οὐκ ἔνεστ' αὐτῷ λόγος οὐδὲ εἷς. ποία γὰρ πρόφασις . . . . . . φανεῖται τῶν πεπραγμένων αὐτῷ; ὀργῇ νὴ Δία, καὶ γὰρ τοῦτο τυχὸν λέξει . . . . sequitur eadem fere huius excusationis refutatio ac supra. De ira igitur orator ita hic dicit, quasi adhuc nondum de ea dixerit. Apparet eundem scriptorem non eodem tempore talem in modum dicere potuisse: in hac parte obelis notata duae insunt partes diversis temporibus ortae; altera igitur ab altera separanda est. Cui rei iam duo viri doctissimi, quorum uterque in his ipsis regionibus dominatur, operam dederunt, Blassius et Weilius, uterque, ut equidem puto, sine successu. Weilius (l. c. p. V.) dicit: „En effet, le paragr. 41 répète les considérations qui avaient déjà été présentées au § 38. Je suppose que les premiers de ces paragraphes devraient être marqués de la διπλῆ ὠβελισμένη et que l'obel ne porte que sur la fin du § 40 (Μὴ τοίνυν ἐᾶτε . . . .) ainsi que sur le § 41". Weilii igitur sententia § 42 sq. ad verba . . . . καὶ νῦν ἀποδεδωκὼς ὑμῖν (§ 40) adiungi debebant; qua de coniectura Blassius (app. crit. p. XXX.) recte iudicat: „at sic inter 40 et 42 vasta lacuna existet". Blassius

———

[1]) In his signis afferendis nitor apparatu critico editionis Blassianae maioris.

contrarium putat rectum: §§ 38—40 (. . . ἀποδεδωκὼς ὑμῖν) obelis, 40 (μὴ τοίνυν κτέ) et 41 διπλῇ ὠβελισμένῃ notatas fuisse, „quippe in quibus (scil. 40—41) recurrant ea, quae §§ 38 et 40 exposuerat“. Quam ob rem Blassius § 41 non, sicut in verbis notatis facere consuevit, parvis litteris imprimendam curavit. Blassius igitur verba μὴ τοίνυν ἐᾶτε κτὲ (§ 40) ad § 37 adiungenda esse putat. Quod non magis fieri potest quam id quod Weilius proposuit. Nam praeterquam quod non intellexeris, quomodo § 40 paragraphum 37 sequi possit, verba ea § 40 sq. plane e suo contextu eripiuntur; cum antecedentibus enim verbis arte coniuncta sunt: § 40 . . . δεῖ λέγειν ταῦτα . . . . πάντα μᾶλλον ἢ ταῦτα λεκτέον, quo verba μὴ τοίνυν ἐᾶτε ταῦτ' αὐτὸν λέγειν pertinere patet. Tota quae sequitur pars (§ 40—41) vi sua privabitur, si ex hoc separabitur contextu. Apparet §§ 39—41 inter se arte cohaerere, dividi non posse. Caesura, ut ita dicam, nullo loco nisi in fine paragraphi 38 poni potest: altera earum, quas quaesivimus partium, est § 38, altera §§ 39—41. Velim has partes iuxta spectes:

38. ἔτι τοίνυν οὐδ' ὁμοίαν οὖσαν τούτῳ κἀκείνοις συγγνώμην εὑρήσομεν· πρῶτον μὲν γὰρ ὁ τὸν θεσμοθέτην πατάξας . . . . ἔπειθ' ὁ Πολύζηλος	39—41: καὶ μὴν οὐδὲ τῶν πεπραγμένων ἐμοὶ καὶ τούτοις οὐδὲν ὅμοιον ὁρῶ. πρῶτον μὲν γὰρ ὁ θεσμοθέτης . . . ἔπειθ' ὁ πληγεὶς ἐκεῖνος ὑπὸ τοῦ Πολυζήλου . . . .
finis: ἀλλ' ἐπὶ πάντων φαίνεται προῃρημένος μ' ὑβρίζειν.	finis: ἀλλὰ καὶ βεβουλευμένως ὁ τοιοῦτος ὑβρίζων ἐστὶν ἤδη φανερός.

Vides has duas partes similiter esse dispositas: similiter incipi, i. e. ad antecedentem partem adiungi, maiorem in fine agnosci similitudinem. Utraque ad § 37 optime adiungitur, utramque § 41 sq. optime sequuntur. § 39 per se optime ad § 38 adiungi posse nemo negabit, sed §§ 39-41 unam solam inter se continent partem, ex qua nullum dirimi potest membrum; qua in parte una sententia repetitur, quae

in § 38 plane explicata est. Inde apparet §§ 39-41 non simul cum § 38 ortas esse, sed vel prius vel posterius. Verisimile videtur Demosthenem aliqua de causa §§ 39-41 postea addidisse, eo consilio, ut pleniorem hanc partem ac multo efficaciorem in edenda oratione priori illi substitueret. Quam ad rem etiam obeli pertinere videntur. Plura de his signis ex hac quidem parte concludere nondum possumus.

§§ 88—92 et § 86.

Scholiasta suspicatur §§ 88—92 (. . . ἄκυρον ποιεῖ) propterea obelis notatas esse, quod nonnulla huius partis verba (συνέβη δὲ ὑπερημέρῳ . . . διὰ τὸ ἀδικηθῆναι § 89) obscura essent, et nonnulli viri docti huius aetatis (Christius, Weilius alii) ei assentiuntur. Weilius e. g. dicit l. c. p. VII: „Les §§ 88—91 ainsi que la première phrase du § 92 . . . sont marqués de l'obel dans les deux manuscrits pour cause d'obscurité et de rédaction imparfaite. Nous avons à ce sujet le témoignage des scholies, à propos des mots διὰ τὸ ἀδικηθῆναι qui sont en effet très-obscurs.“ Verba illa re vera obscura esse nemo negabit; sed estne credendum criticum quemquam quod haec non intellegeret verba, totam hanc partem summis artificiis ornatam eiecturum vel omnino vituperaturum fuisse? Unus vel duo obeli suffecissent. Causam aliam fuisse statim apparet. De qua ut recte iudicemus, necesse puto antea de alio loco pariter notato nonnulla verba facere, de § 86. Obeli pertinent inde a verbis τὴν μὲν δίαιταν ἀντιλαχὼν usque ad βουλόμενος δὲ τὸ μέλλον λαθεῖν. Notatis his verbis prorsus contrarium dici atque in § 90 homines docti iam pridem intellexerunt: cum in § 86 Midiam contra diaetetam magistratus appellasse dicat orator (τὴν μὲν δίαιταν ἀντιλαχὼν . . .), in § 90 ipsum contrarium inest: ἀλλὰ τὴν μὴ οὖσαν ἀντιλαχεῖν ἐξῆν αὐτῷ δήπου . . . ἀλλ' οὐκ ἐβούλετο. Apparet Demosthenem talia non uno tempore scripsisse. Utram igitur partem priorem, utram posteriorem putabimus? Ac primum quidem his paragraphi 86 verbis nullo narrationis incommodo careri potest: verba φυλάξας τὴν τελευταίαν . . . optime ad verba καὶ θεάσασθε τὴν κακοήθειαν

adiunguntur; quin etiam aptius et artius sic connectuntur sententiae; Midiae κακοήθεια sic multo clarius illustratur. Ponamus igitur illa verba posteriora esse. Iam paulo longius progrediamur. Cum haec verba adderet orator, illa paragraphi 90 verba aliquo modo delenda curare et eodem tempore id providere debuit, ut § 87 cum verbis καίτοι εἰ παρὰ τῶν ἔρημον καταδιαιτησάντων αὐτοῦ . . . (§ 92) aliquo modo connecteretur. Cui rei optime operam dedisse puto oratorem. Nisi fallor, haec quoque pars (§§ 88—92) in duas dividenda est partes diversis temporibus ortas. Statim ei qui hanc partem legit, mirum videtur, quod orator in § 91 dicit: ἀλλ' ἐπειδή γ' ἠτίμωσεν . . . ἐκεῖν' ἐποίησε, τὴν καταδίκην ἐκτέτεικε..; οὐδὲ χαλκοῦν οὐδέπω καὶ τήμερον, postquam in § 89 haud ambigue affirmavit: δραχμὴν δ' οὐδέπω (i. e. οὐδέπω καὶ τήμερον) μίαν ἐκτέτεικεν (idem verbum atque in § 91.); et eo magis ei mirum videtur consideranti his sententiis inter se congruentibus utroque loco easdem sententias adiungi, quamquam diverso modo conformatas: § 91 οὐκοῦν ὁ μὲν ἠτίμωται . . . ὁ δ' οὐδ' ὁτιοῦν πέπονθεν, § 90 ἀλλ' ἵνα μὴ Μειδίας ἀτίμητον ἀγωνίσηται . . . καὶ . . . δίκην δῷ: . . . ἄτιμον 'Αθηναίων ἕνα εἶναι δεῖ. § 91 igitur sensu quidem §§ 89 et 90 similis est; sententiam ἀλλὰ τὴν μὴ οὖσαν κτέ ea, quam supra cognovimus (in § 86), de causa sustulit. Quae spectanti mihi quidem persuasum est hic nos habere sicut in §§ 38—41 duas partes diversis temporibus ortas: 1. 88—90, 2. 91—92, posteriorem simul cum § 86 ortam esse, ut in edenda oratione priori substitueretur. Nec negari potest § 91 non minus bene ad § 87 adiungi posse quam § 88. At, quaesiveris, possuntne verba καίτοι εἰ παρὰ τῶν ἔρημον . . . (§ 92) ad § 90 adiungi? Nam, si analysis nostra recta est, illa verba cum § 90 initio connexa fuisse apparet. Et optime id fieri posse puto. Si quis fortasse paululum dubitet, id rhetorica paragraphi 90 forma efficiatur. Hoc est eius argumentum: ne Midias poenam pendat dignam, unum ex Atheniensibus infamem esse necesse est; atqui maxima Midias dignus est poena. Contextus hic prorsus idem est atque in § 105; quin etiam singula harum paragraphorum (90 et 105) membra inter se plane respondent.

Obeli igitur, si modo recte iudicavimus, eandem habent vim atque in §§ 39—41: non additi sunt, quod inerant verba quaedam obscuriora, sed alia de causa multo graviore. Sed de proprio obelorum consilio ne hic quidem certi quicquam dici potest. Extrema demum hac dissertationis parte paucis exponam, quomodo de his signis iudicandum putem.

§ 133 sq.

Obeli pertinent inde a verbis καίτοι πότερ' εἰσὶν ὄνειδος . . . (133) usque ad πάντας ἤλαυνες; (§ 134). His verbis notatis careri non posse, connexum harum paragraphorum esse optimum mihi exponendum non videtur. De hoc loco Weilius (l. c. p. VI.) dicit: „Le critique ne saisissait peut-être pas la suite du raisonnement; il semble avoir pensé que les mots qui suivent (εἰ μὲν γὰρ ἐποίεις ταῦτα) se rattacheraient mieux à la fin du § 132.“ Haec causa videtur nulla. Weilii enim sententia criticus ille optimum contextum cum non intellegeret perturbavit, contextum alium sibi effecit pessimum quem intellexit. Itaque conemur, si difficultatem alio modo tollere possimus. In fine § 132 dicit orator: τὸν δὴ τοσούτοις ἀθρόοις τῶν πολιτῶν ἔχθραν ἐπ'οὐδενὶ ... ἀράμενον, πόσῃ πονηρίᾳ καὶ θρασύτητι ταῦτα χρὴ νομίζειν πράττειν; In fine § 135 legimus: καὶ τὸ δὴ σχετλιώτατον καὶ μέγιστον ἔμοιγε δοκοῦν ὕβρεως εἶναι σημεῖον. τοσούτων ἀνθρώπων . . . σὺ παρελθὼν ἀθρόων κατηγόρεις, ὃ τίς οὐκ ἂν ἔφριξε ποιῆσαι τῶν ἄλλων; Nonne haec eadem est sententia eisdem fere verbis prolata? Hoc miramur et magis mirabimur, si respexerimus qua forma ea proferantur; forma ipsa sermonis § 135 nos videtur docere sententiam, quae ea continetur, hoc loco primum proferri, antea nondum prolatam esse: καὶ τὸ δὴ σχετλιώτατον (und das schlimmste endlich . . .) καὶ μέγιστον ἔμοιγε δοκοῦν (!) ὕβρεως εἶναι σημεῖον· τοσούτων (!) ἀνθρώπων κτέ. Nonne haec ita proferuntur, ut nova hoc loco necdum antea prolata suspiceris? Puto rem hic pariter se habere atque in §§ 38—41 et 88—92: in hac una quae videtur parte duas inesse partes diversis temporibus ortas; alteram verbis τὸν δὴ τοσούτοις ἀθρόοις . . . χρὴ νομίζειν πράττειν; (§ 132) finitam fuisse, alteram §§ 133—135 amplecti. Existimo totam hanc partem (§ 131 sq.) initio

usque ad § 132 (. . . χρὴ νομίζειν πράττειν; pertinuisse et verba τὸν δὴ τοσούτοις . . . χρὴ νομίζειν πράττειν; abrupta quae videntur, initio ad memoriae subsidium scripta esse eo consilio, ut postea elaborarentur atque augerentur. Hunc igitur finem orator postea ampliorem reddidit, paulo maiore affecit vi: alteram scripsit partem (133—135), quam in edenda oratione fini § 132 substitueret, ita, ut post verba μέλλοντι βοηθεῖν αὐτῷ μέμνησθε statim §§ 133—135 ponerentur. Et hoc quidem loco verba καίτοι πότερ' εἰσὶν ὄνειδος κτἑ multo melius intelleguntur; pertinent enim non ad finem § 132, sed ad illa quae antecedunt verba, imprimis: φάσκων ὄνειδος ἐξελθεῖν . . . Ea igitur quam modo explicavimus de causa hoc loco nonnullos invenimus obelos; non omnes certo servati sunt, si modo §§ 38—41 et 88—92 iudicamus; nam inde a verbis τὸν δὴ τοσούτοις ἀθρόοις . . . (§ 132) usque ad finem § 135 pertinere eos necesse esset.

§§ 143—150.

Obeli amplectuntur §§ 143—147 et initium § 148 ἀντιθῶμεν δὴ τίς ὢν καὶ τίσι ταῦτ' ἐνδεικνύμενος) — §§ 128—142 Midiae in ceteros cives scelera exposuit, nonnulla refugia (136—140, 141—142) interclusit orator. Venit iam ad hanc partem obelis notatam (§§ 143—147). Priusquam de his ipsis verbis accuratius agamus, §§ 148—150 plane respectis illis (§§ 143—147) conceptas esse statuamus. Nam primum quidem verba τοιούτων ἀνδρῶν οὖσι ἀπογόνοις ad eam quae antecedit partem aperte pertinent. Deinde ea quae levandi Midiae sceleris causa afferri posse orator dicit, plane in eis, quae antecedunt, nituntur: verbis τίνος γὰρ ἕνεκα; τῶν στρατηγιῶν . . . ἀλλὰ τῶν λόγων . . . γένους ἕνεκα . . . prorsus §§ 144. 145 respiciuntur: verbis γένους ἕνεκα § 144, qua de Alcibiadis genere dicit orator, verbis ἀλλὰ τῶν λόγων § 145 καὶ λέγειν ἐδόκει πάντων, ὥς φασιν εἶναι δεινότατος, verbis τῶν στρατηγιῶν § 145 καὶ στρατηγὸς ἄριστος. . . Apparet igitur §§ 143—147 a §§ 148—150 dirimi non posse. Iam paululum progrediamur. Ac primum quidem statuendum videtur §§ 143—150 nullo contextus incommodo omitti posse; 151 sq. optime ad 136—142 adiungi posse, quin etiam multo artius cum §§ 136—142 cohaerere quam cum §§ 143—150. Omitti

igitur haec pars (143—150) potest; sed omitti non modo posse eam sed etiam debere gravissimis ut credam argumentis adducor. Nam primum equidem non video quomodo omnino haec pars in hoc quidem contextu intellegi possit, quo vinculo vel exteriore vel interiore cum antecedente parte cohaereat; prorsus ex alio sententiarum circuitu, ut ita dicam, deprompta est. Quid enim? ad illam qua cetera Midiae scelera enumerat partem verba λέγεται τοίνυν ποτὲ ἐν τῇ πολιτείᾳ . . . Ἀλκιβιάδην γενέσθαι κτέ (143) tune putas ullo modo adiungi posse? Sed accedit aliud idque multo gravius. His ipsis quae obelis notatae sunt paragraphis idem spectatur quod paulo post § 169 sq. etiamsi multo brevius atque simplicius ponitur. Has duas partes 143—150 et 169 sq. structura quidem rhetorica plane similes esse primo cognoveris conspectu: 169 sq. orator nullo certo exemplo allato generaliter dicit iam multos Atheniensibus πολλὰ κἀγαθά fecisse, alios cum navalibus vincerent pugnis, alios cum multas et pulchras pro urbe sua collocarent statuas. Id quod hac parte generaliter de multis viris qui de patria bene meruerint dicitur, idem in § 143 sq. maiore tantummodo arte de Alcibiade praedicatur. Deinde in utraque parte similiter cum pergat docet Athenienses nunquam propter merita permisisse, ut illi homines cives insultarent:

170: ἀλλ' ὅμως οὐδενὶ πώποτε τούτων δεδώκατε τὴν δωρειὰν ταύτην οὐδ' ἂν δοίητε ἐξεῖναι τοὺς ἰδίους ἐχθροὺς ὑβρίζειν . . .

146: ἀλλ' ὅμως οἱ κατ' ἐκεῖνον ὑμέτεροι πρόγονοι οὐδενὸς τούτων αὐτῷ συνεχώρησαν ὑβρίζειν ἑαυτούς . . .

Quae consideranti mihi necessario statuendum videtur § 143 sq. et 169 sq. duas esse recensiones diversis temporibus ortas. Etiam apparere puto § 143 sq. nondum antecessisse cum § 169 sq. scriberentur. Quid enim? Credetne quisquam verba ἐγὼ γὰρ οἶδ' ὅτι πολλοὶ πολλὰ κἀγαθὰ ὑμᾶς εἰσιν εἰργασμένοι . . . οἱ μὲν ναυμαχίας νενικηκότες, οἱ δὲ πόλεις εἰληφότες, οἱ δὲ πολλὰ καὶ καλὰ ὑπὲρ τῆς πόλεως στήσαντες τρόπαια (§ 169), haec verba scribi potuisse, si omnia haec iam antea exposuisset orator idque multo gravius atque ornatius quam § 169 sq.? Ex iis igitur, quae consideravimus, aperte elucet

§§ 143 sq. olim non eo quo nunc legimus loco stare potuisse. Orator hanc partem postea scripsit, quam in edenda oratione §§ 169 sq. substitueret. Sane utrum illo ipso loco (169 sq.) an alibi positurus fuerit diiudicare non possumus; hoc tantummodo constat hoc quo nunc invenimus loco positurum eum non fuisse. Iam Nitschius (De traiciendis partibus in Demosthenis orationibus, diss. Berol. 1863 p. 85 sq.) hanc partem suum locum non tenere vidit et aliis ac nos argumentis nisus post 169—170 transponendam putavit, duplicem hic esse recensionem non animadvertit. — Sine dubio totam hanc partem posteriore aliquo tempore in separata scidula scripsit orator scriptamque orationi nondum perfectae addidit. Obelis sine dubio id quod statuimus indicatur.

§§ 99 et 100—101.

Obeli complectuntur verba: ἀλλ' ἴστε δήπου . . . δεινῶν δίκην διδόντας et totas paragraphos 100—101.

In § 99 sententiae ipsae sic ut traditae sunt, optime inter se cohaerent. Orator tota hac parte iudicum in Midiam misericordiam exturbare studet; duas quas proferre possint causas: 1. ὅτι ἀσελγής ἐστιν καὶ βδελυρός, 2. ὅτι πλούσιός ἐστιν antea (§ 98) reiecit; pergit deinde dicere: quid igitur reliquum est? misereri hercle; nam liberos quoque adducet et flebit et hac arte se absolvere studebit; hoc igitur reliquum. Sequuntur iam verba obelis confossa: sed scire vos puto eos qui iniusti quid patiantur et quod ferre non possint, misericordia esse dignos, non eos qui pro commissis iniuriis poenas exsolvant; — huc usque obeli pertinent — et quis Midiae liberorum (ταῦτα!) iure misereatur cum videat Stratonis liberorum Midiam miseritum non esse? Sententiae igitur sic optime inter se coniunctae sunt. Sed iam pridem cognitum est verbum ταῦτα (καὶ τίς ἂν ταῦτ' ἐλεήσειε δικαίως § 99), quod ad Midiae liberos pertinet, hoc quo legimus loco aegre intellegi, quippe quod a verbo παιδία longius absit. Sine dubio haec quoque verba obelis notata postea demum ab oratore addita sunt, cum vel in margine vel

alibi adscriberentur, eo consilio, ut in edenda oratione artius cum sequentibus verbis coniungerentur. Initio igitur verba καὶ τίς ἂν ταῦτα . . . verbis ἐλεῆσαι νὴ Δία . παιδία γὰρ . . . τοῦτο λοιπόν adiuncta erant; cum eis ita cohaerebant ut in § 149 verba καὶ τίς οὐκ οἶδεν . . . cum verbis γένους εἵνεκα νὴ Δία.

Videamus iam quid de §§ 100—101 iudicandum sit. Ac primum quidem hic locus ad antecedentem partem bene adiungitur; inde a § 97 haec fere dixerat: cur servandum eum putatis? an propter insolentiam? an propter divitias? utrumque reiecerat. Reliqua iam erat misericordia; haec quoque abrepta est. Sequitur iam optime haec pars confossa: si in istum, qui in pauperes tam insolenter se gessit, misericordia utemini, insolentia nunquam tolletur (§ 100); misericordia non est dignus Midias, qui ne ipse quidem misericors sit (101). — § 101 cum §§ 184/5 verbotenus fere congruere iam pridem cognitum est. Cum non utramque partem ab oratore eodem tempore conceptam esse credendum sit, opus est inquiramus, utra sit altera prior utra posterior. Haec quaestio ab aliis alium in modum soluta est. Primum quidem, ubi hi duo loci: 101 et 185 aliquo modo inter se differunt, § 101 prae § 185 correcta atque perpolita videtur: e. g. verba § 184 οὐχὶ τούσδε μόνους οὓς συλλέγουσί τινες ἀλλὰ καὶ ἄλλους quae nullam habent vim et paene inepta videntur, in § 101 omissa sunt; in § 185 porro eadem bis deinceps legimus verba: lin. 2. τούτῳ τὸ αὐτὸ δίκαιον ὑπάρχειν et lin. 6. τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φοράς; id in § 101 mutatum et correctum est: priore legimus loco: ἅπασι προσήκει τῷ τοιούτῳ τὰ αὐτὰ εἰσφέρειν. — Sed accedit etiam aliud. § 100 accurate spectantes nos non fugiet verba huius paragraphi plane ad confossa illa paragraphi 99 pertinere verba. Ibi dicit orator: ἀλλ' ἴστε δήπου . . . ὅτι τοὺς ἀδίκως τι πάσχοντας . . . ἐλεεῖν προσήκει, οὐ τοὺς ὧν πεποιήκασι δεινῶν δίκην διδόντας. § 100 pergit — exuamus rhetoricam vestem: — insolentiae non imponetur finis, si in maleficos, quasi hi sint οἱ δεινὰ πάσχοντες, misericordes eritis, contra τοὺς ἀδίκως πάσχοντας

minime defendetis. Quod cum spectem, dubium mihi non videtur, quin §§ 100. 101 postea demum idque simul cum verbis illis paragraphi 99 additae sint.

Ceterum tota haec pars (§ 99 sq.) maiores cum illa (184—188) habet similitudines quam adhuc animadversum est:

§ 99 παιδία γὰρ παραστήσεται καὶ κλαήσει . . .

§ 187 οὐδ' ἂν ἔχοιμι ταῦτα παραστησάμενος κλάειν.

§ 99 ἀλλ' ἴστε δήπου τοῦθ' ὅτι τοὺς ἀδίκως τι πάσχοντας... ἐλεεῖν προσήκει, οὐ τοὺς ὧν πεποιήκασι δεινῶν δίκην διδόντας.

§ 187 διὰ τοῦτ' ἄρα τοῦ πεποιηκότος ὁ πεπονθὼς ἔλαττον ἕξω παρ' ὑμῖν;

§ 100 εἰ τοῦτον μὲν ὥσπερ δεινὰ πάσχοντα ἐλεήσετε; εἰ δέ τις πένης μηδὲν ἠδικηκὼς . . . . οὐδὲ συνοργισθήσεσθε;

§ 183 ἂν τῶν μετρίων τινὰ καὶ δημοτικῶν λάβητε ὁτιοῦν ἀδικοῦντα, οὔτ' ἐλεήσετε . . . ἐὰν δὲ πλούσιος ὤν τις ὑβρίζῃ συγγνώμην ἕξετε.

§§ 197—199.

Obeli pertinent inde a verbis ὃν γὰρ οὐχ ἱππεῖς . . . (197) usque ad μετὰ τὴν χειροτονίαν θεωρήσαιτε (199). Concedendum est verba ὃν γὰρ οὐχ ἱππεῖς . . . optime ad antecedentia verba adiungi, verba εἰ τοῖς μετὰ τὴν χειροτονίαν τεκμηρίοις θεωρήσαιτε cum sequentibus τίς γάρ ἐστιν ὅστις καταχειροτονηθὲν αὐτοῦ . . . coniungi. Sed is qui Demosthenis consuetudinem, ut ita dicam, paululum novit, aliquid quin offendat fieri non potest: pars 197—201 talis qualem legimus non potest esse perfecta. Quid enim? Primum quidem legis: „quid facturum eum putatis? ipsi cognoscetis si consideraveritis, quomodo post probolen se gesserit“; si deinde exponitur quomodo se gesserit, nonne expectas necessario aliquid, quo pars haec finiatur? e. g. „si iam nunc tam insolenter se gessit, quid igitur, si absolvatur, eum facturum putatis?“ Eiusmodi sententia careri non potest; exspectamus eam in fine § 200. Quam rationem per se ut puto claram nonnullis ultro probabo exemplis.

§ 162 huius orationis orator dicit:
ἐπειδὴ δὲ πολιορκεῖσθαι τοὺς ἐν Ταμύναις στρατιώτας ἐξηγγέλλετο . . . τηνικαῦτα . . τῷ δῆλον . . . ὅτι τὴν στρατείαν φεύγων, οὐ φιλοτιμίᾳ ταῦτ' ἐποίησεν; — haec verba respondent verbis νῦν ἐὰν ἀποφύγῃ τί ποιήσειν οἴεσθε; § 199 — τοῖς μετὰ ταῦτα πραχθεῖσιν ὑπ' αὐτοῦ — respondent verbis: εἰδείητε . . εἰ τοῖς μετὰ τὴν χειροτονίαν τεκμηρίοις θεωρήσαιτε, — §§ 163—165 enumerantur iam haec πραχθέντα sicut in §§ 199. 200 τὰ μετὰ τὴν χειροτονίαν τεκμήρια, et in fine horum πραχθέντων sententia aliqua additur, qua tota pars optime finitur et quasi quadratur: § 166 καίτοι τὴν τοιαύτην τριηραρχίαν . . . πότερον τελωνίαν καὶ πεντηκοστὴν καὶ λιποταξίαν καὶ στρατείας ἀπόδρασιν . . . ἁρμόττει καλεῖν ἢ φιλοτιμίαν; Vides his verbis plane illa superiora in initio posita respici: ὅτι τὴν στρατείαν φεύγων, οὐ φιλοτιμίᾳ ταῦτ' ἐποίησεν. Talem sententiam necessario hic quoque exspectamus. Afferam alterum exemplum. Velim spectes Mid. § 154: εἰ μέντοι τί ποτ' ἐστὶν ἃ λειτουργεῖ τῇ ἀληθείᾳ δεῖ σκοπεῖν, ἐγὼ πρὸς ὑμᾶς ἐρῶ (§ 199 ἐγὼ φράσω)· καὶ θεάσασθε ὡς δικαίως αὐτὸν ἐξετάσω πρὸς ἐμὲ κρίνων . . . Vides hanc protasin — ut ita dicam — § 199 simillimam esse. Et sicut § 199 τὰ πεπραγμένα μετὰ τὴν χειροτονίαν, ita hic τὰ λελειτουργημένα iam enumerantur; quibus enumeratis hic quoque sententia talis posita est, qualem in § 166 invenimus, in § 200 prorsus desideramus: § 158 orator haud ambigue dicit: τίς οὖν ἐστιν ἡ λαμπρότης, ἢ τίνες αἱ λειτουργίαι; quae verba aperte protasin illam respiciunt: εἰ μέντοι τί ποτ' ἐστὶν ἃ λειτουργεῖ . . δεῖ σκοπεῖν . . . (154).

In or. LI. 7 similiter atque in Mid. § 162 legimus: ὅτι δ' οὐ μέτεστι μόνοις τούτοις περὶ τοῦ στεφάνου λόγος, τοῦτ' ἐπιδεῖξαι βούλομαι· πόθεν οὖν τοῦτο μάλιστά ἐστι δῆλον; ἀφ' ὧν αὐτοὶ πεποιήκασιν. Haec πεποιημένα una sola sententia continentur: σκεψάμενοι γὰρ τὸν ἐξ ἐλαχίστου τριηραρχεῖν βουλόμενον μεμισθώκασι τὴν λειτουργίαν. Sequitur statim sententia, quae totum circuitum quasi quadrat: καίτοι πῶς οὐκ ἄδικον, τῶν μὲν ἀναλωμάτων ἀφεστηκέναι, τῶν δὲ γιγνομένων δι' ἐκεῖνα τιμῶν ἀξιοῦν ἑαυτοῖς μετεῖναι; Haec verba plane respiciunt illa

quae praecedunt: ὅτι δ' οὐ μέτεστι μόνοις τούτοις περὶ τοῦ στεφάνου λόγος ... cf. etiam or. XXIII. 23. Quibus exemplis id quod postulandum esse videbatur, affirmatur: apparet post § 200 sententiam aliquam prorsus desiderari.

Sed quid fiet, nunc interrogabimus, si verba obelis notata omittamus? ad verba ἐγὼ μὲν οἶμαι τοῦτον τοιοῦτον (§ 197) statim verba τίς γάρ ἐστιν ὅστις καταχειροτονηθὲν αὐτοῦ ... (§ 199) adiungentur. Sententiae tum sic inter se cohaerebunt: Ego puto Midiam esse deis invisum atque insolentem. Quis enim est qui a populo condemnatus idque impietatis adversus deos festo die commissae — ἀσέβεῖν περὶ τὴν ἑορτὴν aperte ad: θεοῖς ἐχθρὸν in § 197 pertinere videntur — non quietem acturus fuerit ... ? nemo nisi ille ... Puto hunc contextum singularem esse; verbis τίς γάρ ἐστιν ὅστις καταχειροτονηθὲν αὐτοῦ .... (§ 199) Midiae βδελυρία (§ 197) egregie confirmatur; singulae sententiae: ἀλλ' οὐ Μειδίας, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἡμέρας ταύτης λέγει, βοᾷ, λοιδορεῖται... Πλουτάρχου προξενεῖ ... ἡ πόλις αὐτὸν οὐ χωρεῖ ... καὶ ταῦτα πάντα ποιεῖ δῆλον ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἐνδεικνύμενος ἢ ... prorsus aptae sunt quibus Midiae βδελυρία clarissime illustretur, nec omnino aliud quicquam spectare videntur; omnis difficultas ita sublata est, et sententiae ipsae etiam artius inter se coniunguntur. Hic quidem plane probanda puto quae Weilius (l. c. p. VI.) dicit: „Si des mots ἐγὼ μὲν οἶμαι τοῦτον τοιοῦτον qui se lisent à la fin de ce paragraphe on passait immédiatement à τίς γάρ ἐστιν ὅστις § 199 en ôtant les lignes intermédiaires qui sont obélisés dans B, les idées se suivraient très-bien, leur enchaînement en deviendrait même plus satisfaisant plus serre'." Dubium igitur esse non potest quin haec pars non semper in hoc fuerit contextu; hanc quoque Demosthenes posteriore concepit tempore, ut in edenda oratione insereret. Quod si fecisset certo etiam finem partis aliquo modo mutasset. Et huc pertinere obeli videntur; eandem igitur habent vim quam in § 86, § 98, §§ 100. 101, §§ 143—147.

§§ 189—192.

§§ 189. 190 διπλαῖς ὠβελισμέναις, §§ 191. 192 obelis notatae sunt. Tota quae incipit inde a § 151 orationis parte id imprimis spectatur, ut iudicum misericordia a Midia auferatur; et huic consilio has quoque paragraphos signis criticis confossas optime adaptatas esse apparet. Sed altera ex parte concedendum est eas neque exteriore vinculo neque interiore contextu cum ea quae antecedit et cum ea quae sequitur parte adeo cohaerere, ut nullo narrationis detrimento aut incommodo omitti possint. Quin etiam omitti debere eas puto. In § 186 enim dicit orator Midiam liberis adductis etiam lacrimas profusurum esse; quas ne respiciant admonet. § 193 dicit eum ne populum quidem totum accusare veriturum esse; pergit § 194 ᾗ καὶ γελοῖα τὰ νῦν οἶμαι δάκρυα εἰκότως ἂν αὐτοῦ δοκοίη. Quae verba re vera sic modo intelleguntur si §§ 193 sq. ad ipsas §§ 186—188 adiunguntur. Obeli igitur — de διπλῇ infra dicam — eandem habent vim quam in prioribus partibus. Sed de tota hac parte opus est nonnulla addamus. Scholiasta in ea bis idem (189. 190 et 191. 192) dictum esse putat; dicit: μίαν οὖσαν ἐναργῶς τὴν ἀντίθεσιν δίχα ἔτεμε πρὸς τὸ χρήσιμον· ἦν γὰρ τοιαύτη· ῥήτωρ οὗτός ἐστιν καὶ πάντα ἐσκεμμένα λέγει καὶ παρεσκευασμένα· ὃ δὲ διεῖλεν αὐτὴν πρῶτον μὲν εἰς τὸ ῥήτωρ ἐστὶν (189. 190) ... δεύτερον δὲ τὸ μέρος ἔθηκε τὸ ὅτι ἐσκεμμένα γε πάντα λέγει. Et scholiastam plurimi docti huius aetatis viri secuti sunt. A. Schaeferus e. g. („Demosthenes und seine Zeit" III[1] p. 61) putat in utraque parte inesse: „Gebt mich nicht dem studierten Redekünstler preis", et Blassius (in „Die attische Beredsamkeit III, 1[2] p. 337 n. 5) ei assentitur: „Die kritischen Zeichen . . . geben Schäfer Recht, der . . an dem Nebeneinanderstehen dieser beiden Stücke einen gewissen Anstoss nahm". Quae doctissimorum virorum sententia, nisi fallor, reicienda est, quamquam quae Bastgenus („De Demosthenis Midiana", diss. Monast. 1884 p. 8) ad refutandam eam protulit, non apta sunt, quae nobis persuadeant. Quod in §§ 189. 190 inest, haud ambigue pronuntiatur. Si Midias dicit: „ῥήτωρ ἐστίν", hoc ita a

iudicibus intellegi in animo habet, ut a Demosthene in altero enthymematis dimidio exponitur: εἰ μέντοι ῥήτωρ ἐστὶν οἵους ἐνίους τῶν λεγόντων ἐγὼ καὶ ὑμεῖς δ' ὁρᾶτε, ἀναιδεῖς καὶ ὑφ' ὑμῶν πεπλουτηκότας, οὐκ ἂν εἴην . . . Rhetores igitur Midias illos ἀναιδεῖς καὶ . . . πεπλουτηκότας putat, quales a Demosthene in politicis orationibus atque imprimis in prooemiis acerrime petuntur. Eiusmodi rhetores, inquit, Midiae permulti aderunt (§ 190), mihi nullus, cum ne ego quidem pro ullo eorum quicquam coram vobis dixerim. Rhetora igitur Midias hic quidem non putat eum qui λόγους παρεσκευασμένους ἐρεῖ. Hoc in sequente demum parte (190. 191) inest. In his igitur partibus legimus: Demosthenes est rhetor, i. e. eorum est qui vestris ex opibus divites facti sunt (189. 190), praeterea verba bene praeparata dicet (191. 192). Nec igitur bis idem his paragraphis dici puto. Idem quod recentiores viri docti etiam grammaticus ille videtur sensisse, qui signa critica apposuit. In §§ 189. 190 διπλῆν ὠβελισμένην, i. e. obelum cum διπλῇ pro puris obelis, nisi fallor, ea de causa adnotavit quod his paragraphis idem atque §§ 191. 192 dictum esse, i. e. διπλῆν recensionem inesse iudicaret. Obelis igitur hic quoque sicut in antecedentibus paragraphis totam hanc partem aliquando afuisse, διπλῇ ὠβελισμένῃ in §§ 189. 190 et 191. 192 duplicem esse recensionem significavit.

§§ 205—207.

Hae quoque paragraphi obelis notatae sunt. Inde a § 193 operam dat orator, ut Midiae pro misericordia iram conflet (193—204). Inde a § 205 usque ad § 218 iam nonnullos in suspicionem adducere studet, quos adfuturos putat Midiae. Apparet igitur partem hanc (205—207) per se maxime idoneam esse, quae hoc in contextu ponatur. Sed cur eam obelis notatam esse putemus? Plurimi, nisi fallor, omnes recentes critici id ei rei adscribunt, quod initium intellegi non possit. Sed sic ut in §§ 88—92, ita ne hic quidem credere possum eam ob rem criticum illum totam hanc partem notaturum fuisse, cum initium significare satis

esset. Videamus. Ipsa verba: καὶ βοηθοῦσιν οἱ λέγοντες ὑπὲρ αὐτοῦ non ita ut iam legimus ad antecedentem partem adiungi posse primo apparet conspectu. Quae verba si legis putaveris iam partem aliquam antecessisse, qua de Midiae sociis diceretur, partem talem qualis inde a § 208 sequitur. Nisi fallor hic quoque res ita se habet ut in antecedentibus partibus: Demosthenes has paragraphos posteriore quodam tempore scripsit, eo consilio, ut in edenda oratione aliquo loco nescimus quo — suspicor post § 212 — insereret. §§ 208—212 igitur initio ad §§ 202—204 adiunctae erant easque sine dubio optime sequebantur. Plurimi viri docti, quod verbum οὗτος (ἣν οὗτος ἑαυτῷ . . . 205) non intellegatur, lacunam ante § 205 statuendam putaverunt, aliquam intercidisse ante 205 censent partem, qua de Eubulo nonnulla disseruerit orator. Sed praeterquam quod omnia quae in hoc quidem contextu dicere de Eubulo potuit orator, profecto §§ 205—207 dicta existimo, nescio an ita verbum οὗτος non melius intellegeretur. Ego partem hanc nondum perfectam orationi ab editore postea fortuito inditam esse puto. Tota initii forma mihi apparere videtur has paragraphos non ad partem aliquam adiungi debuisse qua de Eubulo sed qua de sociis illis (καὶ βοηθοῦσι οἱ λέγοντες) dictum erat.

§§ 217—218.

Obeli pertinent inde a verbis πάντα γὰρ τὰ αἴσχιστ' ἔνεστιν . . . (217) usque ad ἄλλου τινὸς ἡττῆσθαι (218). Haec pars ex nonnullis constat sententiis, quae parum coniunctae sunt inter se, quae fortuito quasi ad memoriae subsidium scriptae videntur. Tales in perfecta oratione esse non posse apparet. Praeterea concedo me ne intellegere quidem, quomodo verba οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας κτἑ (218) cum verbis antecedentibus cohaereant. Contra omissis verbis confossis optimus efficitur contextus. Orator dicit § 215 „profecto mihi nihil gravius accidere potuit quam si iuxta illud quidem ipsum flagitium summa incitati ira me obsecrabatis, ut causam persequerer, iam vero postquam ab omnibus condemnatus est consentientibus et ego ipse ad iudices multis auc-

toribus detuli litem diiudicandam, nunc eum absolvetis; minime". Nonne ad haec verba optime verba: οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας . . . adiungi poterant? „nec enim publica de causa iudicatis . . . sed propter superbiam . . ." Hic quidem verbo tenus probanda puto quae Weilius („Mélanges Graux" p. 18.) dicit: „Si on rattachait ces mots (οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας) à Μηδαμῶς qui se lit au commencement du § 217 et qu'il faut nécessairement conserver, les idées se suivraient et la transition serait satisfaisante, plus satisfaisante même que dans le texte actuel. Je ne suis pas éloigné de croire que l'orateur nota dans son manuscrit plusieurs additions successives sans prendre le temps de les raccorder ensemble." Haec verba semper hic fuisse ea quam attuli de causa nego: bonum quem omissis eis nanciscimur contextum aliquatenus interrumpunt, inter se non arte coniuncta sunt. Haec quoque verba postea addita videntur, vel in margine adscripta, vel alio modo adnotata, eo consilio, ut in edenda oratione insererentur. Sed tum orator sine dubio ea melius et inter se et cum sequentibus verbis coniunxisset.

§ 218.

Huius paragraphi etiam extrema verba: πότερ' οὖν τούτου γενομένου . . . ἐφ' οἷς κρίνεται κοινά obelis notata sunt. De his verbis paucissimis licebit iudicare. Adiunguntur ad ea, quasi novi aliquid adiciatur, verba: ἔτι δ'οὐκ ἔμ' ἔτυπτεν . . . μόνον οὗτος . . . ἀλλὰ πάντας κτέ (219) i. e. prorsus idem quod orator modo verbis κοινὴ γὰρ ἡ κρίσις καὶ τἀδικήματα πάντα ἐφ' οἷς κρίνεται κοινά dixit. Quae spectantibus nobis statim opinio quasi obtruditur verba confossa non suum tenere locum i. e. obelos idem valere atque in antecedentibus partibus; et ea opinio plane confirmatur et probatur, quod § 219 artissime cum verbis οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας . . . κρίνεται cohaerere consideramus: § 219 enim alteram continet causam, cur iudices severe in Midiam animadvertere iubeat: 1. οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας . . . κρίνεται, 2. ἔτι δ'οὐκ ἔμ' ἔτυπτεν . . . μόνον οὗτος.

Optimus hic contextus verbis confossis plane perturbatur. Haec quoque verba postea — nescimus quo de consilio — ab oratore — sive ab interpolatore? — addita videntur.

§ 97.

Verba καὶ μήθ' ἑορτῆς . . . παράδειγμα ποιήσετε; in FS obelis, in B — quod sane est apographon codicis F — διπλῇ ὠβελισμένῃ notata sunt. Ac primum quidem respiciendum est signum interrogativum non, sicut Dindorfius et vetustiores nonnulli orationis editores voluerunt, post verbum καταψηφιεῖσθε ponendum esse — nam scribendum esset ποιουμένου . . . καταψηφιεῖσθε — sed iam post verbum ποιούμενον. Quodsi legimus: τοῦτον ὑβρίζοντα λαβόντες . . . ἀφήσετε καὶ μήθ' ἑορτῆς μήτε ἱερῶν . . . πρόνοιαν ποιούμενον; apparet totam sententiam plane claudicare. Apertum videtur sic Demosthenem quidem scribere non potuisse, ne in imperfecta quidem oratione. Omissis verbis notatis verba καὶ τί φήσετε; optime ad τοῦτον ὑβρίζοντα λαβόντες . . . ἀφήσετε; adiunguntur; contextus tum idem est atque in or. XXIV. 206, ubi simillime dicit orator: τὸν οὖν καὶ βλάπτειν ὑμᾶς καὶ δόξης ἀναπιμπλάναι φαύλης ἐπιχειροῦντα τοῦτον οὐ τιμωρήσεσθε λαβόντες; καὶ τί φήσετε; cf. etiam XX. 83. Itaque pro certo putandum videtur rem hic pariter se habere atque in §§ 217—218: verba confossa a Demosthene postea in margine adscripta esse, eo consilio, ut in edenda oratione iniungerentur. Sine dubio tum — sicut Cobetus iam nunc, sane iniuria, proposuit — ante verbum ἀφήσετε posita essent. In codice B haec verba διπλῇ ὠβελισμένῃ notata esse commemoravimus. Διπλῇ, nisi supra (§§ 189—192) decepti sumus, significatur verbis his aliquid dici quod etiam alio loco dicitur; hic quidem criticus fortasse indicare voluit iam § 61 eadem fere verba legi: . . . καὶ μήτε τῆς ἑορτῆς μήτε τῶν νόμων μήτε τί ὑμεῖς ἐρεῖτε μήτε τοῦ θεοῦ φροντίζειν.

§ 139.

Obeli inde a verbis οὓς μὰ τοὺς θεοὺς usque ad verba καὶ παρεῖναι καὶ μαρτυρεῖν pertinent. Orator dicit: divitiis pellecti permulti istum protegunt mercennarii: Polyeuctus, Euctemon, alii, et praeter eos magna copia aliorum, qui aperte vobis molestiam non parant, sed clam mendaciis eius annuunt. Quos — hinc obeli incipiunt — hercle nihil ab isto

puto utilitatis capere, sed libenter adsunt et testantur — huc usque obeli pertinent —. Quae omnia terrorem et periculum vestrum uni cuique parant . . . Contextus igitur est optimus: divitiis istius, inquit orator, permulti alliciuntur: 1. ei qui testimonia sua Midiae vendunt (μισθοφόροι), 2. alii qui pecuniam non capiunt, sed divitibus libenter gratum faciunt. — Et quid fit omissis his quae obelis notata sunt verbis? Divitiis istius multi alliciuntur: 1. ei qui testimonia vendunt, 2. alii qui palam vobis molestias non parant, sed clam omnibus divitum mendaciis annuunt; quae omnia periculum vobis parant . . . Videmus facile, nisi fallor, sic quoque contextum esse optimum, verbis illis confossis careri posse ita ut narrationis flumen non turbetur. Additis illis imago τῶν ἑτέρων magis suppletur, contextus ipse melior non fit. Quamquam igitur hic quidem vim obelorum non certo demonstrari posse ipse non ignoro, tamen ceteris quos tractavimus locis nisis nobis non sine iure affirmare licebit haec quoque verba obelis notata posteriore quodam tempore ab oratore addita esse. Pariter res se habet etiam in eis quos iam tractabimus locis: § 201, § 92, § 49.

§ 201.

Obeli amplectuntur verba οὐδὲ γὰρ ἕξειν ὑμᾶς . . . νῦν ἐὰν διακρούσηται; Primo apparet conspectu §§ 197—201 interrogatione illa rhetorica ὃς οὖν . . . τὸ μὲν ὑμᾶς δεδιέναι δοκεῖν αἰσχρὸν ἡγεῖται, τὸ δὲ μηδὲν φροντίζειν ὑμῶν νεανικόν, τοῦτον οὐκ ἀπολωλέναι δεκάκις προσήκει; optime finiri posse, multo melius quam additis verbis confossis. Quin verbis his finis valde debilitatur; fortuito quasi memoriae subsidium adiecta videntur, eo consilio, ut in edenda oratione melius elaborarentur atque complerentur. Nec enim sic, ut iam leguntur, perfecta aut perpolita sunt. Itaque haec quoque verba postea demum orta esse non sine iure affirmare poterimus.

§ 92.

Huius paragraphi verba εἰ γὰρ ἀτιμία . . . μικρὰ θάνατος φαίνεται obelis notata sunt. Antea dicit orator: atqui si a

Stratone, qui absentem eum damnaverat, tantam repetivit poenam, quamnam vos decet ab isto repetere, qui aperte leges vestras insultavit? Hac interrogatione rhetorica sine dubio haec pars finiri potuit; testimonia statim adiungi poterant. Responso, quod verbis notatis datur, opus non fuit. Similibus interrogationibus persaepe maiores partes finiuntur (e. g. XXIV. 95). Hunc igitur locum aliquatenus comparare possumus cum illo, de quo modo disputavimus, § 201. Omissis verbis notatis testimonia similiter adiciuntur atque in § 118 sq., ubi dicit orator: . . . πῶς οὐ δεκάκις, μᾶλλον δὲ μυριάκις δίκαιός ἐστ' ἀπολωλέναι; ἀλλὰ μὴν ὡς ἀληθῆ λέγω . . . τούτων τοὺς παρόντας ὑμῖν καλῶ μάρτυρας. Quae considerantibus nobis concludere licebit obelos hic idem valere atque aliis locis: verba confossa postea addita esse.

Idem iudicandum puto de § 49 verbis: καὶ πολλοὺς ἤδη παραβάντας τὸν νόμον τοῦτον ἐζημιώκασι θανάτῳ, quibus nullo narrationis detrimento careri posse primo apparet obtutu.

De § 210 verbis μὴ τοίνυν . . . τούτοις τοῖς οὕτω χρησαμένοις . . . . ἃ τούτους οὐδεὶς κωλύει κεκτῆσθαι, quae ipsa quoque signis criticis notata nullo modo omitti possunt, infra disseremus.

Ad finem pervenimus. Iam complectamur paucis, quae assecuti nobis videamur. Primum quidem quinque spectavimus locos: 38—41, 88—92, 133—135, 143 sq., 100. 101, quibus accurata analysi duplices statuimus lectiones. Obeli in §§ 38—41, 88—92 in utraque lectione, in §§ 133—135, 143 sq., 100. 101 in altera modo lectione servati sunt. Docere videbantur omnibus illis locis ad priorem quandam partem aliquo tempore aliquo de consilio posteriorem additam esse. — Praeterea in magnum aliorum locorum numerum inquisivimus: 86, 99, 197 sq. etc. Omnes hos — praetermitto in praesens § 210 — nullo sermonis incommodo omitti posse vidimus, quin etiam nonnullos certo quondam afuisse, postea demum additos esse necessario statuimus. Horum igitur locorum signa critica eandem atque illorum habere vim supra cognovimus. Quod si statuimus, signa

critica omnibus quibus invenimus locis idem valent: significant eo quo invenimus loco nonnulla verba postea addita esse, sive additis eis locus ille tantummodo amplificabatur sive duplex lectio oriebatur. Plurimi viri docti scholiastam secuti putaverunt criticum omnibus his locis signa critica propterea posuisse, quod in aliqua re offenderet, e. g. quod duplex lectio adesset (§ 38 sq., § 100 sq.) vel quod sermo nimis obscurus esset (88 sq.) etc. Quam sententiam reiciendam esse vel ex eis quae de illis ipsis locis disputavimus apparere puto. Si res ita se habet, ut explicavimus, si profecto omnibus illis locis postea aliqua pars addita est, certo semper ita addita erat, ut criticus, qui obelos apposuit, certo cognosceret illos locos postea additos esse. Sed quomodo id fieri potuerit, fortasse non iam satis diiudicare poterimus. Sed tamen liceat afferre quae sentiamus. Nisi fallor, criticus ille complura habuit Midianae exemplaria, si non plura at certe duo; haec exemplaria eis, quae inerant, inter se differebant: alterum plura alterum pauciora praebebat. Criticus eis locis, quos in altero invenit, contra in altero desideravit, illa signa apposuit. Quorum exemplarium lectiones coniunctae in uno solo codice traditae sunt. Quam sententiam nostram illo de quo adhuc nondum disputavimus loco, § 210, optime probari puto. Hic quoque locus quamquam omitti nullo modo potest, sine dubio in altero codice defuit: scribae interciderat neglegentia; idque facillime fieri potuit, cum duae deinceps paragraphi 210 sententiae ab eisdem incipiant verbis: μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδ. Ἀθ ..... μὴ τοίνυν μηδ' οὗτοι ... Oculi scribae a prioribus illis ad posteriora haec percurrebant verba. Analysi igitur nostra id, nisi fallor, certo demonstravimus, quod Blassius, nisus in sola § 210, ab initio ex suopte ingenio postulaverat. Dicit ille („Die att. Bereds." 3, 1 ² p. 338): „er (scil. der antike Obelus) konstatiert die Tatsache, dass in einer verglichenen Handschrift die betreffende Stelle nicht enthalten war. Dies ist in einem Falle unverkennbar (scil. § 210), wo das Obelisierte schlechterdings nicht fehlen kann, wo aber sein Ausfall in einer alten Handschrift durch die

Wiederkehr der gleichen Worte die leichteste Erklärung findet“.

II.

Obelos igitur omnibus quibus inveniuntur locis eandem habere vim satis mihi videor demonstrasse. Sed iam vidimus eis quos tractavimus locis illa signa non semper omnia servata esse: e. g. in § 133 sq., § 147 sq. Praeterea autem obeli etiam nonnullis aliis locis addi debuerunt, qui quin postea demum orationi iniuncti sint equidem dubitare non possum: § 182 (ὑμεῖς δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι . . .) — 183 (τὸν ἐντυχόνθ' ὑμῶν διαπράττεται), § 106, § 208 sq.

Ac primum quidem spectemus illa paragraphi 182 verba. Insertis eis contextus plane turbatur. Nam verba (§ 183) μὴ τοίνυν αὐτοὶ καθ' ὑμῶν αὐτῶν δεῖγμα τοιοῦτον ἐξενέγκητε . . . ὡς ἄρ' ὑμεῖς, ἂν μὲν τῶν μετρίων τινὰ καὶ δημοτικῶν λάβηθ' ὁτιοῦν ἀδικοῦντα κτέ . . .[1]) aperte ad priorem paragraphi 182 spectant partem: ἀλλὰ Πύῤῥον . . . θανάτῳ ζημιῶσαί τινες ὑμῶν ᾤοντο χρῆναι . . . . καίτοι τοῦτο τὸ λῆμμα δι' ἔνδειαν οὐ δι' ὕβριν λαμβάνειν ἐπεχείρησεν ἐκεῖνος . . . Verbis, quae intersunt, plane disiciuntur. Quod iam Nitschius („De traiciendis partibus in Demosth. orat.“, diss. Berol. 1863, p. 81 sq.) animadvertit, nec vero recte sanare studuit, cum haec verba post § 204 transponere vellet. Apparere mihi videtur ea postea aliquo de consilio addita esse; orationi ipsi iniuncta non sunt. Sine dubio haec quoque verba in margine adscripta erant, ab editore contextu ne hic quidem respecto hoc quo iam legimus loco posita sunt.

---

[1]) Non omiserim commemorare haec verba plane cum or. LI. 12 concinere: 21. 183 μὴ τοίνυν ἂν μὲν εἴπῃ τις παράνομ' οὕτως ὀργιζόμενοι φαίνεσθε, ἐὰν δὲ ποιῇ, μὴ λέγῃ, πρᾴως διάκεισθε. LI. 12 ἔτι τοίνυν ἔμοιγε δοκεῖ κἀκεῖνο ἀλόγως ἔχειν τὸν μὲν εἰπόντα τι μὴ κατὰ τοὺς νόμους . . . τὸ τρίτον μέρος ἠτιμῶσθαι τοῦ σώματος, τοὺς δὲ μὴ λόγον ἀλλ' ἔργον παράνομον πεποιηκότας μηδεμίαν δοῦναι δίκην. Ceterum etiam quae in 21. 183 sequuntur, cum LI. 11 concinunt: 21. 183: ἂν μὲν τῶν μετρίων τινὰ καὶ δημοτικῶν λάβητε ὁτιοῦν

Videamus iam de § 106. Haec verba ἐγὼ μὲν γαρ ... προσυπῆρχεν οἴκοι μοι eo ubi legimus loco, nisi fallor, intellegi non possunt. Quid enim? Quo interiore vinculo, ut ita dicam, verba διὰ τί; ... εἰ γὰρ ἐάν τις παρὰ πάντας τοὺς νόμους ... (106) cum antecedentibus cohaerere putas? Equidem video nullum. Contra haec verba διὰ τί; κτἑ ... optime ad § 105 adiunguntur: καίτοι τίνος συγγνώμης ἢ τίνος ἐλέου δικαίως τεύξεται παρ' ὑμῶν; Haec verba continent rhetoricam quandam interrogationem, qua haec continetur sententia: nulla dignus erit misericordia. Et ad hanc sententiam verba διὰ τί; εἰ γὰρ κτἑ. optime adiunguntur. Quod quo certius probes, exemplum simillimum afferam. In or. XIX. 284 dicit orator: ἀλλ' ὁ μὲν ταλαίπωρος ἄνθρωπος ἠτιμώσεται ὅτι τοῦτον εἶδ' ἀδικοῦντα, τούτῳ δ' ἀθῴῳ δώσετ' εἶναι; διὰ τί; εἰ γὰρ παρὰ τῶν εἰς ἑαυτοὺς ἐξαμαρτόντων τηλικαύτην ἠξίωσε δίκην Αἰσχίνης λαβεῖν, παρὰ τῶν εἰς τὰ τῆς πόλεως τηλικαῦθ' ἡμαρτηκότων ... πηλίκην ὑμᾶς προσήκει λαβεῖν; Quo exemplo etiam clarius apparet verba διὰ τί; εἰ γὰρ κτἑ optime ad § 105 adiungi. Verisimile videtur reliquam paragraphi 106 partem postea ab oratore additam esse.

Opus est etiam extremam orationis partem spectemus, quae omnibus, qui de Midiana scripserunt, viris doctis summas praebuit offensiones, a nullo autem illustrata est. Ac primum quidem §§ 208—212 et §§ 213—218 non iuxta stare posse apparet: nam utraque parte idem spectatur, ut Midiae adiutores calumniis afficiantur; quod ab omnibus

---

ἀδικοῦντα, οὔτ' ἐλεήσετε οὔτ' ἀφήσετε, ἀλλ' ἀποκτενεῖτε ἢ ἀτιμώσετε, ἂν δὲ πλούσιος ὤν τις ὑβρίζῃ, συγγνώμην ἕξετε.

LI. 11 ἐὰν μὲν πένης ὤν τις δι' ἔνδειαν ἁμάρτῃ τοῖς ἐσχάτοις ἐπιτιμίοις ἐνέξεται, ἐὰν δὲ πλούσιος ὢν ... ταὐτὰ ποιήσῃ συγγνώμης τεύξεται; Concinentibus his sententiis etiam magis apparet orationem LI., quae a permultis viris doctis Demostheni abiudicata est (cf. Blass, l. c. p. 245), genuinam esse. Addo etiam Mid. § 162 cum or. LI. 7 comparari posse: Mid. 162: τῷ δῆλον ... ὅτι τὴν στρατείαν φεύγων ... τοῦτ' ἐποίησεν; τοῖς μετὰ ταῦτα πραχθεῖσιν ὑπ' αὐτοῦ.

LI. 7: πόθεν οὖν τοῦτο μάλιστ' ἔσται δῆλον; ἀφ' ὧν αὐτοὶ πεποιήκασιν.

concessum est nec mihi pluribus exponendum videtur. Elucere igitur puto has duas partes non uno tempore scriptas sed alteram postea additam esse. Sed utram priorem, utram posteriorem putabimus? Ac primum quidem apparet §§ 213 sq. multo maiore esse vigore atque alacritate, nec intellexeris, cur orator, si haec pars re vera ab initio adfuisset, multo debiliorem (208—212) substituere animum inducturus fuerit. Sed accedit aliud idque multo gravius, quod nescio quo modo a viris doctis adhuc plane neglectum est: §§ 215. 216 idem continent atque §§ 226—227; cum totae hae duae partes inter se congruunt, tum maxime §§ 216 et 227 verba:

§ 216: ἐπειδὴ κεχειροτόνηται μὲν ὕβρις τὸ πρᾶγμ' εἶναι, ἐν ἱερῷ δὲ οἱ ταῦτα κρίνοντες καθεζόμενοι διέγνωσαν, ... τηνικαῦτ' ἀποψηφιεῖσθ' ὑμεῖς.

§ 227: ἐπειδὴ δ' ἐξελήλεγκται (cf. § 216 κεχειροτόνηται . . . ὕβρις εἶναι) καὶ προκατέγνωκεν ὁ δῆμος τούτου εἰς ἱερὸν καθεζόμενος (illic ἐν ἱερῷ δὲ οἱ ταῦτα κρίνοντες καθεζόμενοι διέγνωσαν) καὶ τἄλλα προσεξήτασται τὰ πεπραγμένα τῷ μιαρῷ τούτῳ . . ., νῦν ὀκνήσετ' ἐμοὶ βοηθῆσαι . . . ; (illic τηνικαῦτ' ἀποψηφιεῖσθ' ὑμεῖς).

Structura igitur rhetorica:

216 ἐπειδὴ κεχειροτόνηται . . . τηνικαῦτ' ἀποψηφιεῖσθ ὑμεῖς,
227 ἐπειδὴ δ' ἐξελήλεγκται . . . νῦν ὀκνήσετ' ἐμοὶ βοηθῆσαι;

et toto tenore et toto quo scriptae sunt consilio hae partes inter se concinunt. Num talia bis deinceps scribi potuisse putas? Haec igitur pars 213 sq. duplicem praebet offensionem: nec iuxta 208—212 nec iuxta 226—227 stare potest. Nec igitur errabimus, si hanc esse posteriorem, 208—212 priorem dicemus. Sed §§ 219 sq. ab 213—218 dirimi non posse supra vidimus: verba ἔτι δ' οὐκ ἐμὲ ἔτυπτεν . . . (§ 219) cum verbis οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας . . . ἀλλ' ἐξ ὕβρεως . . . κρίνεται (218) solis coniungi posse supra demonstravimus. §§ 219—225 inter se arte cohaerent. Itaque simul cum 213—218 etiam 219—225 conceptas et additas esse opus est statuamus.

Nostra igitur sententia paragraphos 208—212 quondam §§ 226—227 sequebantur; cum illis optime cohaerebant;

pro iis orator aliquo tempore §§ 213—225 scripsit, eo consilio, ut in edenda oratione has illis substitueret. Editor totam hanc extremam orationis partem sine ulla mente sic ut invenit edidit, sic edidit, ut partes, quae inter se arte cohaerebant, plane dirimerentur. Puto sic tenebras has, quibus Midianae extremam partem oppressam esse omnes viri docti concesserunt, plane illustrari.

Quod si recte explicavimus, Demosthenem tribus diversis temporibus orationi operam dedisse statuendum est. Nam §§ 213 sq. postea orationi inditas esse modo explicavimus, §§ 217—218 (ἄλλου τινὸς ἡττῆσθαι) et verba πότερ' οὖν τούτου γενομένου . . . κρίνεται κοινά (218) etiam posterius addita esse supra ostendimus.

Idem, nisi fallor, etiam ex alio orationis loco concludi potest, ex §§ 143—150, quas ipsas postea demum additas esse supra intelleximus. Sed intra has paragraphos partem quandam etiam posterius conceptam esse cognoscemus. Verba ἀντιθῶμεν δὴ τίς ὢν καί τίσι ἐνδεικνύμενος hoc quo legimus loco intellegi non possunt. Et tamen quondam, si modo scholiastae fidem habere licet, intellecta sunt. Dicit enim scholiasta — nescimus unde deprompserit — verba γένους ἕνεκα νὴ Δία (§ 149) quondam cum verbis illis ἀντιθῶμεν δὴ κτέ. coniuncta fuisse: τοῦτο συνῆπται — recte Weilius συνῆπτο scribendum proposuit — τοῖς παρασήμοις πρὶν διορθωθῆναι τὸν λόγον, τὰ δὲ μέσα ἐνετέθη. Scholiastae igitur si confidimus, verba μὴ τοίνυν ὑμῖν κτέ usque ad κακῶς δ'ἰδίᾳ πάντας ἀνθρώπους λέγει (§ 148) postea addita sunt; verba ἀντιθῶμεν δὴ κτέ ex priore recensione etiam servata sunt, a Demosthene ipso in edenda oratione omissa essent. Videmus hic quoque editorem sine ulla mente negotium curasse. Itaque ex his quoque paragraphis, si recte iudicavimus, certo concludendum est Demosthenem tribus diversis temporibus orationi augendae atque perpoliendae operam navasse.

Vidimus orationem talem qualis nobis tradita est, perfectam non esse; cognovimus permultas partes postea conceptas partim eis quibus edi debebant locis iniunctas partim fortuito orationi inditas esse, eo consilio, ut in edenda ora-

tione iniungerentur; quomodo ipse orator iniuncturus fuerit, nemo diiudicabit. Sed oratio talis, qualis ab oratore nobis relicta est, maximo nobis est momento. Inducimur quasi in officinam Demosthenis; videmus quanta cum cura atque diligentia singulas deinceps partes paulatim amplificaverit atque validiores reddiderit, novas partes addiderit, priusquam vel apud iudices diceret vel ad rostra prodiret.

III.

Iam extrema dissertatione quaerendum videtur, quomodo oratio disposita sit; nam sic ut nobis tradita est, summas praebet offensiones, quae adhuc nullo modo sublatae sunt. Sic agam, ut eos locos, qui satis intellegi posse videntur, nulla mora facta transeam, de ceteris paulo accuratius disseram.

Prooemio (1—8), quocum προκατασκευή quae dicitur arte cohaeret, (9—12), adiungitur narratio (13-18), ad quam orator transit verbis: βούλομαι δ' ἕκαστον ἀπ' ἀρχῆς ὧν πέπονθα ἐπιδείξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν . . . (§ 12). Narrationem pars quaedam sequitur, quae permultas movit controversias (19—21). Ac primum quidem orator brevissimo ἀπολογισμῷ, qui dicitur, ea quae adhuc dixit complectitur: τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἠσελγημένα . . . ταῦτ' ἐστιν (§ 19), promittit se brevi alias in se iniurias enumeraturum: καὶ πολλὰ ἕτερα, ὧν ὅσ' ἂν οἷός τε ὦ διέξειμι πρὸς ὑμᾶς αὐτίκα δὴ μάλα. Deinde novas Midiae in alios cives iniurias se prolaturum dicit et iudices omnium illorum peccatorum a Midia poenam repetere iubet: ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας παμπληθεῖς αὐτοῦ . . . (§ 19) . . . usque ad verba: πάντων οὖν ἀθρόων ἓν τίμημα ποιήσασθε, ὅτι ἂν δίκαιον ἡγῆσθε (§ 21). Postremo ipsa sequentis orationis propositio datur: ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν ὅσα αὐτὸς ὑβρίσθην, ἔπειθ' ὅσα ὑμεῖς· μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον . . . βίον αὐτοῦ πάντ' ἐξετάσω . . . Quibus de verbis summae controversiae ortae sunt: nec quid verbis ἔπειθ' ὅσα ὑμεῖς nec quid verbis μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον . . . βίον αὐτοῦ πάντ' ἐξετάσω dicere velit orator, homines docti consentiunt. Quod ut diiudicemus incipiamus a verbis μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον . . . Promittit

hic — velim hoc interim mihi credas; infra ex ipsa oratione aperte demonstrabo — Midiae in ceteros cives iniurias se enumeraturum. Quod si concedimus, etiam apparet quid ceteris propositionis verbis significet orator: „Demonstrabo“, inquit, „me ipsum insultatum esse, et simul mecum etiam vos insultatos esse i. e. simul mecum phylen meam victoria privatam esse“, sicut supra eodem usus contrario dicit: . . . ἐμοῦ μὲν ὕβρισε τὸ σῶμα, τῇ φυλῇ δὲ κρατούσῃ τὸν ἀγῶνα αἰτιώτατος τοῦ μὴ νικῆσαι κατέστη (§ 18). Horum duorum peccatorum § 22 per testes convincere studet Midiam; quae testimonia ipsa consentaneum est abesse in oratione; commemoratur τοῦ χρυσοχόου solum testimonium; apparet e narratione etiam compluribus aliis testibus opus fuisse; ea igitur sicut τοῦ χρυσοχόου hic commemoranda erant. Oratorem cum hanc scriberet partem ea nondum collegisse Blassius fortasse recte suspicatur (l. c. p. 332 sq.).

§ 23 incipit a verbis: πολλὰ μὲν τοίνυν . . . καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν, ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου . . . Videtur igitur iam hic alteram propositionis partem (μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον . . .) petere. Sed videtur tantummodo; re vera nonnulla anticipat, quae Midiam culpae suae diminuendae causa prolaturum putat (23—41). In § 23 verba ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου intellegi non possunt; nam haec ἀρχή duabus paragraphis ante invenitur: nec melius intelleguntur si cum Blassio (l. c. p. 332) satis multa testimonia inter § 21 et § 23 intercidisse putamus. ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου orator nusquam dicere potuit nisi in parte quadam, quae ab hac ἀρχῇ satis longe aberat. Nec igitur fieri posse puto, ut haec verba paragraphum 21 sequantur. Plura de hac parte hic quidem nondum dicere licet; infra huc revertemur.

§§ 42—76 sequitur pars quaedam, qua Midiae scelus omnibus artibus amplificatur; haec pars per se optime cohaeret. Ii, inquit orator, qui δι’ὕβριν scelus committunt, multo gravius puniuntur quam qui inviti iniusti quid faciunt, quin ne servos quidem superbia (δι’ ὕβριν) insultare licet (42—46). § 47 lex illa, qua haec omnia continentur, legitur. Haec lex,

iam pergit orator, tam plena est humanitatis, ut ea commoti etiam barbari, ex quibus servos vobis comparatis, hospites vos facerent, si eam cognoscerent.

§ 51 sq. iam gradus quidam sequitur: nec vero δι' ὕβριν tantummodo condemnetis eum opus est, sed etiam δι' ἀσέβειαν, cum choregum me dei alicuius insultaverit (51—55: τοῦτον ἄλλο τι πλὴν ἀσεβεῖν φήσομεν;). Quod Midiae scelus eo gravius est, quod mihi chorego manum intulit, cum, quamquam peregrini vetantur ἀγωνίζεσθαι, per leges ne chorego quidem liceat προσκαλέσαντι τοὺς χορευτὰς σκοπεῖν. §§ 58—62 summis cum Midiae calumniis orator exemplis allatis docet ceteros τὸ βιάζεσθαι καὶ ὑβρίζειν καὶ τὰ τοιαῦτα ποιεῖν (§ 58) semper fugere, quo magis Midiae scelus amplificetur.

§§ 63—69 gravissime in Midiam invectus exponit orator ne privatis quidem inimicitiis quemquam alium incitatum esse, ut eiusmodi quicquam faceret.

§§ 70—76 in eis quae antea explicavit nisus addit: Itaque vestrum est in eum gravissime animadvertere; vestro enim confisus auxilio Midiae superbiam ipso die festo tuli nec statim ultus sum.

Apparere igitur puto hanc partem (42—76) optime inter se cohaerere. Spengelius (in Philol. XVIII. 606) et eum secutus Bastgenus (l. c. p. 28) §§ 23—41 post § 127 ponendas proposuit; quod fieri nullo modo potest; nam §§ 42 sq. cum §§ 38—41 arte coniunctae sunt. §§ 38—41, quas duas inter se continere recensiones supra vidimus, orator dicit: . . . ἀλλὰ καὶ βεβουλευμένως ὁ τοιοῦτος ὑβρίζων ἐστὶν ἤδη φανερός, vel si alteram adhibemus recensionem: ἀλλ' ἐπὶ πάντων φαίνεται προῃρημένος μ' ὑβρίζειν. Quibus cum verbis partem sequentem arte cohaerere apparet, qua orator demonstrare studet ὅσῳ μείζονος ὀργῆς καὶ ζημίας ἀξιοῦσιν (scil. οἱ νόμοι) τοὺς ἑκουσίως καὶ δι' ὕβριν (cf. βεβουλευμένως . . ὑβρίζων ἐστὶν ἤδη φανερός § 38, vel προῃρημένος μ' ὑβρίζειν § 41) τῶν ἄλλως πως ἐξαμαρτανόντων (§ 42). — §§ 23—76 igitur inter se plane cohaerent.

Putaveris iam (§ 77) illa Midiae in ceteros cives peccata enumerari, quae § 21 se enumeraturum promisit,

initio huius partis (23—76) enumerare iam paravit. Quae spes eluditur: § 77 sq. de privatis suis cum Midia inimicitiis dicit orator. Incipit: οἶμαι τοίνυν τινὰς ὑμῶν ... ποθεῖν ἀκοῦσαι τὴν ἔχθραν, ἥτις ἦν ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους ... βούλομαι δὴ καὶ περὶ ταύτης ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς εἰπεῖν ... Quae pars usque ad § 82 pertinet; sequitur egressio quaedam, qua Midiae in Stratonem crudelitatem summopere castigat (83—101). Inde a 102 usque ad 122 Midiae in oratorem post festum illum diem iniuriae enumerantur, §§ 123—125 brevis huius partis ἀπολογισμὸς et §§ 126—127 epilogus quidam totius orationis antecedentis exstat. — Revertamur ad 77 sq. Verba βούλομαι δὴ καὶ περὶ ταύτης ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς εἰπεῖν, quae adhuc a viris doctis neglecta sunt, sic modo recte intelleguntur, si etiam alia oratorem ἐξ ἀρχῆς enumerasse scimus, si meminimus eum in § 12 dicere: βούλομαι δ' ἕκαστον ἀπ' ἀρχῆς ὧν πέπονθα ἐπιδείξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν ... Quodsi concedis haec verba hoc quo statuimus modo inter se respicere, apparere videtur hanc partem (§ 77 sq.) non tam longe a priore illa narratione abesse posse, non tot anticipationibus et amplificationibus (§§ 23—76) ab illa separari posse, sed quondam ad illam ipsam adiunctam fuisse. Quodsi recte explicavimus, altero argumento elucet §§ 23—76 hoc quo nunc legimus loco dimovendas esse. Veri simillimum videtur ad § 21 et ad testimonia illa, quibus Midiae summa in oratorem superbia et crudelitas demonstratur, §§ 77 sq. adiungendas esse. Transpositis ita his paragraphis etiam alia difficultas tollitur. Orator in § 19 dicit: .. καὶ πολλὰ ἕτερα (scil. ἐστὶν), ὧν ὅσ' ἂν οἷός τε ὦ διέξειμι πρὸς ὑμᾶς αὐτίκα δὴ μάλα. Haec πολλὰ ἕτερα sunt sine dubio ea, quae inde a § 77 commemorantur scelera: privatae inimicitiae (77 sq.) et superbiae illae post festum illatae (102 sq.). Quae scelera hoc quo tradita sunt loco non αὐτίκα δὴ μάλα sed aliquanto post enumerantur; αὐτίκα δὴ μάλα re vera sequuntur, si §§ 23—76 non suo traditas esse loco putamus.

Sed iam quaestio oritur, ubi has paragraphos ponendas existimemus. Ac primum quidem ipsa § 23 apparet hanc partem aliquo loco — nil interest interim quo — ante

§ 128 ab oratore dici debuisse. Deinde id quoque elucere videtur § 128 sq. necessario ad ipsam hanc partem adiungendas esse. Quid enim? § 23 orator Midiae in alios scelera afferre paravit, sed antea (πρὸ τούτων § 24) aliud negotium absolvit. Quod sine dubio ei licuit; sed iure atque merito postulaveris, ut absoluto hoc negotio iam scelera illa enumerentur, minimeque feras aliud quid ab oratore tractari, quod longe alio spectet: i. e. privatas Midiae inimicitias afferri. Quibus omnibus de causis pro certo puto §§ 23-76 post §§ 126—127, ante § 128 ponendas esse. — Mutato ita hoc ordine etiam aliud quid tollitur, in quo equidem offendi. In fine § 130 commentaria de illis, de quibus persaepe diximus, iniuriis recitanda curat; finit verbis (§ 131): ὅσα μὲν τοίνυν ... τὸν ἀεὶ προστυχόντ' αὐτῷ πεποίηκε ταῦτ' ἐστίν· καὶ παραλέλοιφ' ἕτερα· οὐ γὰρ ἂν δύναιτ' οὐδεὶς εἰσάπαξ εἰπεῖν ... Quae verbotenus fere concinunt cum initio § 126: ὅσα μὲν τοίνυν εἴς τε τὴν λειτουργίαν ... ὑβρίσθην ... ἀκηκόατε ... καὶ παραλείπω δὲ πολλά· οὐ γὰρ ἴσως ῥᾴδιον πάντ' εἰπεῖν. Quae similitudo sine dubio aliquid miri habet, nec credere possum Demosthenem, quem equidem noverim, quamquam oratio perfecta non est, paene uno, ut ita dicam, spiritu bis deinceps idem scripsisse. Quae offensio plane tollitur, si inter § 126/7 et 128—130 paragraphos 23—76 quondam positas fuisse putamus. Nostro igitur iudicio paragraphum 22 quondam §§ 77—127 secutae sunt, ad has paragraphi 23—76, 128—130 optime adiunctae erant.

Inde a § 128 nova pars orationis incipit: Midiae in ceteros cives iniuriae exponuntur. Nemo virorum doctorum adhuc certo cognovisse videtur — suspicati sane nonnulli sunt: e. g. Bastgen l. c. p. 28 et 32 sq., Spengel l. c., Blassius l. c. p. 335 sq. n. 3. — Demosthenem hic illud munus absolvere, quod in § 21 proposuit cum dixit: μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸν ἄλλον ... βίον αὐτοῦ πάντ' ἐξετάσω[1]) ... Nam illis verbis plane respectis in § 128 dicit orator: ἔπειτ'

[1]) Schaeferus (l. c. p. 62) Demosthenem § 131 demum hoc negotium suscipere existimavit.

ἐφοβούμην ἂν μὴ τὸν ἄλλον ἑαυτοῦ βίον οὗτος μέτριον δεικνύων . . . διακρούσηται τούτῳ τὸ δίκην ὧν ἔμ' ὕβρικε δοῦναι. νυνὶ δὲ τοσαῦτ' ἐστὶν, ἃ πολλοὺς ὑμῶν ἠδίκηκε κτέ. Apparet igitur illud ἐξετάζειν τὸν ἄλλον βίον αὐτοῦ idem esse atque enumerare ἃ πολλοὺς τῶν ἄλλων ἠδίκηκεν, et ut supra addit: καὶ δείξω πολλῶν θανάτων, οὐχ ἑνὸς ὄντα ἄξιον, ita hic, priusquam scelera recitanda curat, praemittit: καὶ τόπος οὐδείς ἐστιν ἐν ᾧ τοῦτον οὐ θανάτου πεποιηκότα ἄξια πολλὰ εὑρήσετε.

Legit deinde ex commentariis quibusdam ea quae scripsit scelera (§ 130). §§ 131—135 ea amplificantur: „Midias", inquit, „non iam satis habet singulos homines insultare; sed simul magnam multitudinem hominum superbia premit".

§§ 136—142 in hoc quidem contextu a viris doctis nondum intellectae videntur esse. Blassius e. g. (l. c. p. 336. n. 3) de §§ 141/2 dicit: „Dieser Abschnitt fängt so an als ob ein anderer Einwand vorhergehe." Verum est hanc partem ita incipere nec negari potest eam recte intellegi non posse, nisi alia anticipatio praecedat. Sed Blassius illis ipsis verbis significat talem non praecedere.

Videamus igitur. Prima paragraphi 136 sententia ex duabus constat sententiis, quae particulis μὲν . . . δὲ inter se oppositae sunt: τοῖς μὲν τοίνυν ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις . . . τούτῳ δ' αὖ τἀναντία, i. e. alii quidem, quibus vel unum scelus vel duo obiciuntur, talia — qualia affert orator — proferre possunt, Midiae minime dicere licet: „quis vestrum me vidit talia facientem? . . .", sed ipsum contrarium. Aperte in verbis τούτῳ δ' αὖ τἀναντία τούτων omnis totius sententiae vis posita est. Tota hac sententia bipertita nihil aliud dicit orator nisi: Midias sine dubio interrogabit: „quis vestrum me vidit talia facientem?" „Hoc", anticipat orator, „aliis dicere licet, quibus vel unum scelus obicitur vel duo, isti ipsum contrarium." Hoc statim confirmat verbis: πάντας γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι νομίζω τὸν τρόπον καὶ τὴν ἀσέλγειαν . . . τοῦ βίου, καὶ πάλαι θαυμάζειν ἐνίους οἶμαι, ὧν αὐτοὶ μὲν ἴσασιν, οὐκ ἀκηκόασι δὲ νῦν ἐμοῦ. Sed cum videat multorum scelerum sibi testes defuturos esse — sine dubio quod illa scelera, quae antea

legenda curavit nimis auxit — pergit quasi sui stabiliendi causa: πολλοὺς δὲ τῶν πεπονθότων οὐδὲ πάνθ' ὅσα ἠδίκηνται, μαρτυρεῖν ἐθέλοντας ὁρῶ . . . Cetera huius partis enuntiata perfacile intelleguntur. — Profecto igitur haec pars est ea quam Blassius desiderat anticipatio, et §§ 136—140 et 141—142 artissime inter se cohaerent: illis Midias dicit: quis me vidit talia facientem? — orator id reicit, odium ei conflat — et §§ 141/2: et si feci cur tum nemo litem mihi intendit?

Quam partem, si recte talem in modum interpretamur, apparet respectis illis ὑπομνήμασιν solis scriptam esse neque satis intellegi, nisi ad ipsa illa ὑπομνήματα adiungatur[1]): minime cum §§ 131—135 cohaeret, immo his e suo dirimitur contextu. Nec haec sola offensio his praebetur paragraphis (136 sq.); §§ 137 sq. enim partim idem etiamsi pluribus verbis, profertur atque § 20: § 137 πολλοὺς δὲ τῶν πεπονθότων οὐδὲ πάνθ' ὅσα ἠδίκηνται μαρτυρεῖν ἐθέλοντας ὁρῶ, τὴν βίαν καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην ὁρῶντας τὴν τούτου καὶ τὴν ἀφορμὴν . . . § 20: ἐφ' οἷς τῶν πεπονθότων οἱ μὲν καταδείσαντες τοῦτον καὶ τὸ τούτου θράσος καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑταίρους (cf. 139) καὶ πλοῦτον . . . ἡσυχίαν ἔσχον. Quae consideranti mihi quidem apparere videtur §§ 136—142 postea ab oratore scriptas et fortuito orationi inditas esse, eo consilio, ut in edenda oratione artius cum § 130 coniungerentur. Is, qui orationem edidit, hoc consilio non perspecto eas ibi posuit, ubi eas fortuito inditas invenit.

§§ 143—150 postea demum additas esse nec suo loco stare supra demonstravimus. Inde a § 151 orator favorem atque misericordiam iudicum Midiae omnibus artibus eripere studet: §§ 151—174 Midiae in rem publicam meritis obtrectatur, §§ 175—183 iudices maiorum exemplis allatis severi

---

[1]) Miror quo iure Blassius (l. c. p. 336. n. 2.) dicat: „Dieser Abschnitt fängt so an als ob von den Freveln gegen andere noch nicht die Rede gewesen wäre.“ Quam Blassii opinionem Bastgenus (l. c. p. 34) refutavit; sed ne ipse quidem cognovit quomodo hae duae partes (136—140 et 141—142) inter se cohaereant, quomodo ad antecedentia adiungantur.

esse iubentur. §§ 184—188 iudicum misericordia exturbatur, cum ne Midiam quidem misericordem esse doceat orator. §§ 189—192 postea conceptas sensu quidem huic quo leguntur loco aptas sed nec cum antecedentibus nec cum sequentibus paragraphis satis coniunctas esse supra ostendimus. — §§ 193—204 aliae in Midiam calumniae proferuntur. §§ 205—207 postea scriptas et orationi fortuito additas esse, ut in edenda oratione sequentibus paragraphis (208—218) artius iniungerentur cognovimus.

§§ 208—212 Midiae adiutores nonnulli in suspicionem adducuntur; ad has paragraphos quondam §§ 226—227 adiunctas fuisse et pro tota hac parte (208—212 et 226—227) postea §§ 214—225 scriptas esse supra demonstratum est.

Vita.

Natus sum Conradus Vielhauer die 22. mensis Octobris anni 1881 in vico Silesio, cui nomen est Türmitz, patre Eduardo, matre Paulina e gente Goldammer, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium Leobsitiense frequentavi; anno 1902 maturitatis testimonium adeptus adii universitatem Vratislaviensem, 1903 Berolinensem, et ordini philosophico adscriptus studiis me dedi imprimis philologicis et historicis. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Delbrück, Delmer, Diels, Foerster, Helm, Hirschfeld, Hoffmann, Kekule de Stradonitz, Koch, Lenz, Ed. Meyer, Münch, Norden, Paulsen, E. Schmidt, Schulze, Skutsch, Sternfeld, Tangl, Vahlen, Vogt, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Wünsch.

Seminariorum philologici, historici, archaeologici sodalis fui ordinarius moderantibus Dielsio, Foerstero, Helmio, Hirschfeldio, Kekuleo, Meyero, Nordeno, Tanglio, Wentzelio, Wilamowitzio, extraordinarius moderantibus Kirchhoffio (†), Vahleno.

Quibus omnibus gratiam habeo semperque habebo, imprimis Dielsio, Meyero, Nordeno, Wilamowitzio.

Autumno anni 1906 Berolini examen pro facultate docendi sustinui. Deinde per reliquam semestris hiberni par-

tem exercitationibus seminarii paedagogici cum gymnasio regio Ratiboriensi coniuncti interfui; quas per semestre aestivum anni 1907 in gymnasio regio Bytomiensi persecutus sum; peractis eis mense Octobri eidem gymnasio candidatus probandus attributus sum.

Hoc loco Wendlandio quoque iustas ago gratias, qui nascenti huic opusculo permagnam impendit curam.